



V 00th

alt. Nr. 209.

Fürstenf. n. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.



21

DISPUTATIONUM THEOLOGICA.
RUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
CHRISTIANA ARTICULIS,

X.

De

SACRAMENTIS
IN GENERE,

Et in specie de

CIRCUMCISIONE, AGNO PA-
SCHALI, ET BAPTISMO,

Quam

Favente horum Institutore DEO,

SUB PRAESIDIO

VVOLFGANGI FRANZII,

SS. Theologiae Doctoris & Professoris
in Includatâ ad Albim publici,

discutiendam proponit

M. JOHANNES MYLIUS
ULMENSIS,

*Ad diem 26. Februar. In templo Arcis,
horis solitis.*

VVITTEBERGÆ,

Ex Officina Johan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.



*Reverendis, Amplissimis atq; Clarissimis
Viris,*

Dn. LEONHARTO HUTTERO,
S.S. THEOLOGIAE DOCTORI ET PRO-
fessori in Albanâ Primario, Facultatis Seniori,
Dn. WOLFGANGO FRANZIO,
SS. THEOLOGIAE D. ET PROFESSORI
P. Templi item arcis Præposito.

vi &

*Spectatissimis, atq; quâ Ecclesiam, quâ Scholam,
optimè meritis, optimè merentibus:*

Dn. ANDREÆ BESHAM / Seniori,
Dn. ADAMO STEHLM / Mercatori
Prudentissimo & agnato consanguineo,

*Dn. Præceptoribus, Patronis, Promotoribus &
Fautoribus meis, nullis non observantia honoribus
æternùm prosequendis.*

Has quales quales meorum studiorum
primitias in debitæ observantiæ
& gratitudinis testimonium
Consecro, Offero

*M. Johannes Mylius
Vlmensis,*



Εἰρηδός.



Erſamur adhuc in ſtatu hominis peccatoris, eo, qui dicitur *Reſtaurationis*. In hoc quomodo Chriſtus officio functus fuerit *Prophético*, ſuperioribus diſputationibus expoſito: munere autem Sacerdotali quomodo uſus; quodammodo delibato, & quæ beneficia, Sacrificio nobis ſuo adquiſiverit, diſputatione proximè præcedenti explanato: acceſſum nos facimus ad *media*, quibus ille offerre nobis talia beneficia conſuevit. Media autem hæc *Sacramenta* ſunt.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

T H E S E S I:

Sacramentum, quemadmodum pleraq; alia in *MEN* (a) *ter- N'OMEN* minata; ita etiam hoc hodie augmentum ſiſſe videtur, ut, ſicuti olim ſpiramen dictum, jam ſpiramentum; quondam medicamen. nunc medicamentum nuncupari meruerunt: ſic Sacramentum aliquando Sacramen à ſacrando propter ſacrandi officium instrumentale nominatum fuiſſe exiſtinetur.

(a) *Laur. Valla lib. 6. c. 37.*

II. Sumitur autem vox hæc tum à Prophanis tum Eccleſia *Πολυσημα-* ſticis Scriptoribus dupliciter: aliâ in Politico; alia in uſu Eccleſiaſtico obſervatâ ratione.

III. 1. In *Politicis* notat vel pecuniam à litigantibus ad Pontificem deponendam: (b) vel obligationem, eamq; tum *in genere* quamlibet religioſam: (c) tum *in ſpecie* juramentum, quo adſtricti tenentur ſuo Induperatori milites. (d)

(b) *Varro lib. 4. de ling. lat. & verb. orig. ſub finem.* (c) *autore Feſt.*

(d) *Veget. lib. 2. de re milit. Serv. in comment. ſup. 8. Aeneid.*

A 2

IV. 2. In

IV. 2. In Ecclesiastico usu itidem accipitur vel *generaliter* pro re arcanâ & secretâ qualibet, & συνώνυμα sibi habet: in Chaldaico ܢܝܗܘܢ (d) in Hebræo סוד quod Græci interpretes permutarunt hinc inde cum vocabulo $\muυστηριον$, (e) ut ita Sacramentum nihil sonaret aliud hoc modo acceptum, quàm si diceres: sacrum secretum, absconditum, arcanum: vel *specialiter* pro Ceremoniâ divinitus & ordinatâ & gratuitum favorem Dei nobis conferente atq; obsignante usurpatur.

(d) Dan. 2 & 4. (e) Iudith. 2, 2. 1. Cor. 15, 51. Eph. 1, 9. 1. Cor. 3, 3. 9. 6, 5. 32. Colos. 2, 2. 1. Tim. 3, 9, 16. Apocal. 1, 20. 6. 17, 7.

V. Et hoc ultimo modo sumtum Sacramentum huius tractationis est, cæteris omnibus relegatis & missis significationibus. Quomodo nobis non unam saltem partem, elementarem nempe; sed totum (ut ita appellemus) compositum, & elemento & reliquis constituentibus partibus constans denotat.

GENUS.

VI. Genus Sacramenti hoc modo accepti aliud esse nequit, quàm actio, quod inductione omnium tam veteris quam Novi Testamenti: Circumcisionis, (f) Agni Paschalis, (g) Baptismi, (h) & Eucharistiæ (i) potest probari, quæ Scriptura actione circumscibit omnia, utpote quâ sine queunt esse nulla.

(f) Gen. 17, 11. (g) Exod. 12, 3, 5, 8, 21. & 1. (h) M. 28, 19. Marc. 16, 16. (i) M. 26, 26, 27. Marc. 14, 22, 22. 1. Cor. 11, 24, 25.

VII. Actio hæc absolvitur $\delta\omicron\sigma\varsigma$ exhibitione, qualis: circumcidere, agnum præparare, baptizare, panem & vinum distribuere: & $\lambda\eta\psi\epsilon\iota\varsigma$, sumtione sive acceptione, ceu: circumcidi, agnum edere, aquâ abluere, panem manducare & bibere vinum.

CAUSÆ

VIII. Causæ porro Sacramentorum aliæ sunt *Externæ*: Efficiens & Finis, quæ omnibus omninò Sacramentis communes sunt & eadem: *Internæ* aliæ, Materia & Forma, suis suæ propriæ & singulares.

Efficiens.

IX. *Efficiens* causa solus DEUS est TER. OPT. MAX, qui cum solus sit, qui, ut peccata remittit (k) ita & spiritualem gratiam Sacramentis tribuit: solus etiam certa sigilla, organa & signacula extruere voluit & potuit, per quæ remissionem peccatorum credentibus conferre & gratiam illam spiritualem donare, applicare & obsignare sibi præservavit. (l)

(k) Marc. 2, 7. (l) Gen. 17. Ex. 12. Matth. 26. v. 28. Iob. 1, 33.

X. *Finalis causa Sacramentorum alia est primaria, alia se- cundaria. Finis.*

XI. *Primaria duplex: I. Promissionem gratiæ, hoc est, re- conciliationis gratiæ offerre & exhibere. Cum enim Evange- lium possit beneficia divina nobis adportare, qui fit, quod hoc denegetur Sacramentis, quæ tamen se habent instar cujusdam compendij totius Evangelij, omnemq; animam & virtutem ex- inde trahunt & deducunt suam?* Primarius
I.

XII. Probat hoc ipsum inductio Sacramentorum utriusq; Testamenti singulorum: Circumcisioni dicitur gratiæ, adnexa fuit promissio fæderis (m) & justitiæ fidei: (n) Agno paschali pro- missiones additæ licet fuerint ex parte maxima modò corpora- les, has tamen omnes collimasse ad venturum Messiam, nullus non intelligit. (o) Sic de Baptismo testatur Apostolus, quod PER ipsum in Christo simus consepulti (p) quòd LAVACRO AQVÆ in verbo Christus mundet Ecclesiam (q) quod salvos nos fecerit PER LAVACRVM regenerationis & renovationis Spiritus Sancti (r) & D. Petrus: quod AQVA BAPTISMI salvos nos faciat (s) Sic de Eucharistia asserit Matthæus, quod instituta illa nobis sit IN REMISSIONEM PECCATORUM. (t)

(m) Gen. 17, 7. (n) Rom. 4, 11. (o) Exod. 12 (p) Rom. 6, 4. (q) Eph. 5, 26. (r) Tit. 3, 5. (s) 1. Pet. 3, 21. (t) M. 26, 28.

XIII. II. Gratiam & remissionem peccatorum oblatam in fidelibus obfirmare & confirmare, id quod tum ex naturâ & conditione vocabulorum, quibus Sacramenta indigitantur σφραγίδος (u) & ἐπερωτήματα: (w) tum ipsissimis scriptu- rarum monumentis, quæ in terris testimonium illa dare testan- tur, (x) claret & perspicuum est. II.

(u) Rom. 4, 11. (w) 1. Pet. 3, 21. (x) 1. Ioh. 5, 8.

XIV. *Secundarij fines, quos συμβολικῶς & accidentarios Secundarij.* nominare lubet, recenseri possunt plurimi, utpote: Esse notas professionis, quibus populus Dei ab hominibus alijs disgrega- tur, (y) esse publicarum congressionum nervos (z) esse demum typos & simulacra quorundam officiorum & virtutum spiri- tualium. (æ)

(y) Gen. 17. (z) 1. Cor. 11, (æ) Rom. 6, 1. Cor. 10.

A 3

XV. Ma:

Materia XV. *Materia* Sacramentorum est res certa, speciali verbo Dei cuius determinata.

XVI. Res hæc tum *terrena* est: Elementum, Symbolum vel signum externum, in sensus incurrens, divinitus tamen specificatum: tum *cælestis*: Caro & sanguis Christi.

Unio Sacramentalis. XVII. Rerum harum diversissimarum *unio* non est Physica & essentialis: non artificialis; non hypostatica & personalis: sed plane inusitata & singularis, quæ propterea *Sacramentalis* dici meruit.

Predicationes Sacramentales. XVIII. Hinc etiam *Predicationes* ab unione hac fluentes tales erunt, nempe reales quidem, interim tamen mysticæ, supernaturales, hoc est, *Sacramentales*, non *ἁγιῶν*, non *ἑσθητῶν*, non *ἰστορικῶν* &c.

Forma. XIX. *Forma* Sacramentorum est cuiusvis in propriâ institutione singulari Dei verbo descripta administratio.

XX. Hæc cuiusvis Sacramento peculiaris, peculiare unum, quodvis constituit, cuiuslibet esse largitur, id est, hoc non illud, sed hoc; illud item, non hoc, sed illud esse, unica facit.

XXI. Ex quibus ita delibatis naturam & essentiam Sacramentorum non nihil innotescere censemus: quamobrem accessum, jam facimus ad ipsam definitionem, eamque ex modò recensitis elicimus & extruimus sequentem.

DEFINITIO. XXII. Sacramentum est sacra actio, certæ rei, ipsius Dei institutione expressâ administratione constans, omnibus utentibus promissionem Evangelij de gratuitâ peccatorum remissione offerens, fidelibus autem eandem applicans & obsignans.

DIVISIO. XXIII. Suntque alia Veteris, alia Novi Testamenti.

IN SPECIE DE SACRAMENTIS VETERIS TESTAMENTI.

XXIV. *Veteris Testamenti* Sacramenta sunt, quæ ante Christi incarnationem instituta, tanquam typi & umbræ (aa) Christum per externa elementa eminus monstrarunt, ipso autem exhibitio cessarunt.

(aa) 1. Cor. 10. Coloss. 2, 17. Heb. 10, 1.

XXV. Numerantur duo; Circumcisio & Agnus Paschalis.

DE

DE CIRCUMCISIONE.

XXVI. *Circumcisio* fuit Sacramentum Veteris Testamenti, quo omne masculinum, infans quidem die octavo, adulti verò quavis ætate carne præputij concisi à Deo in fœdus gratiæ per fidem in futurum Messiam recipiebantur, ijsq; divina beneficia conferebantur & obfignabantur.

XXVII. *Sacramentum* dum dicitur circumcisio, omnia ea ipsi competere innuitur, quæ Sacramentis in genere communia esse, hæcenus demonstravimus.

XXVIII. *Fuisse* dum additur, duratio ejus, quæ ad tempus debebat esse adstricta, denotatur, id quod Deus ipse velle reputatur, *statuam pactum*, quidem dicens, sed evestigio hoc determinans, dum restringit, *in generationibus tuis*, (bb) Pacto igitur solummodo veteri dum annexa erat Sacramenti hujus ceremonia: utiq; pacto illo veteri cessante, cessare etiam ejusdem symbolum ultrò necesse fuit. Hinc Deus, *ecce, inquit, dies venient, & feriam domui Israël & domui Iuda FOEDVS NOVVM* (cc) *Novum dum dicit*, ANTIQVAVIT VETVS (dd) Quam eandem ob causam Gentium Doctor Paulus Galatis suis fore protestatur, ut, si circumcidantur, Christus ipsis nihil prodesset (ee) Quid, quod idem cum reliquis Apostolis gentes in Novo Testamento amplius circumcidi in publico concilio prohibuit? (ff)

(bb) *Gen. 17. 9, 12.* (cc) *Ierem. 31, 31.* (dd) *Heb. 8, 13.* (ee) *Gal. 5, 2.* (ff) *Act. 15.*

XXIX. *Veteris Testamenti* Sacramentum hoc fuisse, dū adseritur, inter umbras & typos circumcisio refertur. Licet enim respectu sacrificiorum & Agni Paschalis non directè Christum ratione carnis præfiguraverit: significavit tamen indirectè & obliquè, expectari ex circumciso hoc populo Messiam, qui circumcisurus nos sit *περιτομὴ ἀχειροποιήτω* (gg) *περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι* (hh) qui circumcisurus cor nostrum (ii) & cordis nostri præputium. (kk)

(gg) *Coloss. 2, 11.* (hh) *Rom. 2, 29.* (ii) *Deut. 30, 6.* (kk) *Deut. 10, 10. Ierem. 4, 4.*

XXX. Reli.

Forma admi-
nistr.

I. Objectum.

XXX. Reliqua verba D. finitionis continent in se formam administrationis hujus Sacramenti ut : 1. Quoad *Objectum*, quod conferendum fuit sexui non fæmineo, cui non potuit, sed masculino, eiq; tum infantili die oétavo; tum virili, quavis ætate; genti tum Judaicæ, tum Profelytæ, ei quidem, quæ cum populo Dei connubia inire; (II) Pascha una celebrare (mm) vel aliàs ipsi ad censerè & in medio illius habitare voluit.

(II) Gen. 34, 15. & seqq. (mm) Ex. 12, 48 & c.

II. Subjectum.

XXXI. II. Quoad *subjectum* quod fieri debuit in carne præputij, idq; tum, quia Sacramentum hoc debuit esse remedium peccati, quod in hac corporis parte maxime dominatur, originalis, item, quæ maxime hic fundata est, concupiscentiæ: tum ut Judæos de Christo ex semine secundum datam promissionem nascituro commonefaceret: tum ut abscissio hæc præputij virilis seminis absentiam, quæ in generatione Christi desideranda esset, denotaret: tum deniq; ut regenerationem in eo etiam corporis membro fieri debere, in quo generatio prius, ostenderet.

III. Instru-
mentum.

XXXII. III. Quoad *Instrumentum*, quod peragendum erat cultello, quem petrinum sive saxeum aliqui fuisse autumant eò, quod in quibusdam scripturæ locis (nn) vocabulum *ἄξ*, quod lapidem significat, habetur: Quod ipsum tamen alij explicant de extritione aciei, quæ in ferreo cultello ad lapidem tanquam ad cotem fieri debuerit, non autem ipsos cultellos saxeos extitisse æstimant, cum vel moderni etiam Judæi cultellos non petrinos, sed ferreos adhibere perhibeantur.

(nn) Ex. 3, 25. Ios. 5, 2.

DE AGNO PASCHALI.

XXXIII: Hæc de priore, circumcisionis Sacramento: Alterum *Agnus Paschalis* fuit Sacramentum Veteris Testamenti, in quo die decimâ quartâ mensis primi, ex institutione Dei agnus anniculus & immaculatus mactabatur, sanguis ejus postibus januæ illinebatur, caro verò ad ignem assata cum azymis & lactucis salsis à domesticis comedebatur, hunc in finem, ut tum memoriam antegressæ liberationis Ægyptiacæ recolerent,
tum

tum etiam fidem in Christum de gratuita peccatorum remissione confirmarent & obfirmarent.

XXXIV. *Sacramentum* dum fuit Agnus Paschalis, non potest numerari inter Sacrificia, quod ulterius constat ex sequenti Syllogismo: Quicumque ritus vel ceremonia V. T. 1. peragebatur, ab omnibus indifferenter Israëlitis; 2. nullam adjunctam habebat combustionem; 3. Exordium sumebat in Ægypto: non potest venire nomine sacrificij. Mactatio Agni Paschalis fuit talis ritus, talis Ceremonia. Ergo &c.

XXXV. *Propositionis* connexum per singula membra potest diduci, quorum bina anteriora vera sunt ex Levitico, in quo hinc inde videre est, omne Sacrificium non nisi à Sacerdote debuisse peragi; videre item, peractionem hanc absq; combustionem consistere non quivisse. Postremum membrum liquet ex capite 8. Ex. v. 26.

XXXVI. *Adsumtio* probatur ex genuinâ & propriâ institutionis sede, capite duodecimo Exodi. Manifestum est inibi non de sacrificando sed mactando agno datum fuisse præceptum, quod universalis Ecclesiæ adensus etiam attestatur.

XXXVII. Et qui quæso tandem in Veteri Testamento esset typus Novi Testamenti Sacramentum Eucharistiæ præfigurans, si Agnus Paschalis non est? Certè nullus. Erit itaq; recedendus non inter Sacrificia sed inter Sacramenta Veteris Testamenti, ut sic duo sint, Novi Testamenti bina præfigurantia.

XXXVIII. *Veteris Testamenti* fuisse hoc Sacramentum dum definitum fuit, typi & umbræ munere illius functum esse innuitur, typi & umbræ Christi & hujus beneficiorum, hunc nimirum notabant teste Iohanne (oo) Scripturæ prædicentes: *Os non comminuetis ex eo* (pp) nempe hic sicut ovis ad mactationem erat ductendus (qq) hic agnus Dei, qui tollit peccata mundi (rr) hic pascha nostrum pro nobis immolatus (ss) utpote agnus quasi immaculatus & incontaminatus præcognitus quidem ante mundi constitutionem, manifestatus autem novissimis temporibus propter nos (tt).

(oo) Ioh. 19, 33. (pp) Ex. 12, 46. Num. 9, 12. (qq) Esa. 53, 7. (rr) Ioh. 1, 29. (ss) I. Cor. 5, 7. (tt) I. Pet. 1, 19.

XXXIX. *Differentia specifica* hujus Sacramenti conspicitur in *Modo celebrationis*.

B

ipsius celebratione, quæ si juxta omnes circumstantias in definitione non fuit expressa, uti non fuit, neque enim potuit: introspicere non molestum sit sedem ipsam, quæ de omnibus prolixè reddere te potest certiozem.

DE SACRAMENTIS NOVI TESTAMENTI.

XL. Talia fuere Veteris; Novi Testamenti Sacramenta sunt, quæ post Christum incarnatum ab ipso instituta, per externa elementa non typum & umbram amplius, sed ipsam corporis ipsius substantiam exhibent & exhibitura sunt ad Mundi usque consummationem.

XLI. Recensentur duo: Baptismus & Cœna Domini, quorum illum breviter hic subjungimus: hanc verò disputationi proximè sequenti relinquimus.

DE BAPTISMO.

XLII. *Baptismus* est Sacramentum Novi Testamenti, in quo Deus aqua in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti ablutos in gratiam recipit, propter Christum ipsis peccata remittit, eosq; virtute Spiritus Sancti regenerat, renovat, ac æternæ vitæ hæredes scribit.

*Efficiens
Principalis &
propria.*

XLIII. *Efficiens Baptismi principalis DEVS* est, quod patet, dum ille de cœlo fuisse dicitur, (uu) dum eum spernentes consilium Dei sprevisse leguntur, (ww) dum item Johannes Baptista non ausu proprio, sed instructione missus divinâ hujus Sacramenti administrationem suscepit, (xx) dum deniq; Christus ipse (per discipulos) baptizavit, (yy) ipse post resurrectionem Baptismum per totum terrarum orbem administrare Apostolis demandavit. (zz)

(uu) M. 21, 25. (ww) Luc. 7, 30. (xx) Luc. 3, 2. Ioh. 1, 33. (yy) Ioh. 3, 22. Ioh. 4, 1. (zz) M. 28, 19.

*Minus principalis & ministralis.
Ordinaria.*

XLIV. *Minus principalis Efficiens Baptismi, sive Instrumentalis & ministralis* alia est ordinaria, alia minus talis.

XLV. *Ordinariè administrare debent Baptismum soli Pastores Ecclesiæ*, quippe qui dispensatores misteriorum Dei (A) imò ipsi *οὐνεργῶντες* Deo appellâtur ab Apostolo (B) quibus unis hoc perficere, utpote non absq; mittente currētibus permittitur, (C)

(A) I. Cor. 4, 1. (B) I. Cor. 3, 9. (C) Rom. 10, 15. & M. 28, 19, 20.

XLVI. *In casu necessitatis* autem nihil obstat, quo minus Chri- *Extraordinaria.*
stianus etiam quivis privatus, vel mulier possit Sacramentum
hoc alicui impertiri, Sicut enim faminis alias extra casum neces-
sitaris silentium imponitur ab Apostolo: (D) ita iisdem necessita-
te sic exigente uti docere, ita etiam Sacramentorum prima, quæ
initiationis alias dicuntur, administrare permittitur, quemad-
modum hoc exempla Deborah, (E) Huldæ, (F) Annæ, (G) Priscil-
læ, (H) Loidis & Eunice (I) Item Zephoræ (K) & muliercularum,
quas similis casus urgebat, aliarum (L) demonstrant.

(D) 1. Cor. 14, 34. 1. Tim. 2, 12. (E) Iudic. 4. (F) 2. Reg. 22. (G) Luc. 2.

(H) Act. 18. Rom. 16, 3, 4. (I) 2. Tim. 1, 5. 6, 3, 14, 15. (K) Act. 3, 25.

(L) 1. Marc. 1, 63. 2. Macc. 6, 10.

XLVII. *Materia* est res hujus Sacramenti, *terrena* quidem a- *Materia.*
qua elementaris, sicut hanc adhibuisse leguntur Johannes, (M)
Philippus, (N) Petrus: (O) & exprimitur in mandato Christi (P)
& notatione Pauli &c. (Q).

(M) M. 3, 11. Marc. 1, 8. Luc. 3, 16. Ioh. 1, 33. (N) Act. 8, 36, 38. (O) A-
cto. 10, 47. (P) Ioh. 3, 5. Eph. 5, 26.

XLVIII. *Cælestem* rem sive Spiritum Sanctum, (R) sive to-
tam Trinitatem, (S) sive sanguinem Christi, (T) non omnibus
conjunctim; sed uno aliquo disiunctim & singulariter sumto
dixeris, absurdum non dixeris,

(R) Ioh. 3, 5. 2. Cor. 1, 22. Eph. 1, 14. (S) M. 28, 19. (T) 1. Ioh. 1, 7. Heb.
9, 22. Eph. 5, 26. Rom. 6, 3, 4, 5. Gal. 3, 27. 1. Ioh. 5, 6.

XLIX. *Forma* Baptismi consistit in ipsius administratione, *Forma.*
quæ perficitur lotione in nomine Patris & Filij & Spiritus
Sancti.

L. *Ἀνάφορον* & res media est, sive adspargantur, sive im-
mergantur baptizandi. Immersionem qui urgent, citra ratio-
nem evidentem urgent, quemadmodum ex significatione vo-
cabuli, ut & circumstantijs penes administrationem primam
conspicuis liquet & propalam deducere est:

LI. *Ἀνάφορον* & res media est, sive semel, sive ter adhi-
beatur vel immersio, vel adpersio. Perinde est, utrum quomo-
do fiat.

B 2

LII, *Ἀναγκάρον*

LII. *Ἀναγκαῖον* & de necessario est, retinere verba, in hujus Sacramenti institutione à Christo ipso expressa, quod tamen non eò dictum, quasi hoc certis syllabarum, & characterum sonis ceu anilibus preculis & recitationibus, neque ut magicæ alicui, quæ hîc nulla est, superstitioni adstrictum velimus: sed quod formâ hac mutatâ, Christi mandato, ob certas sibi notas causas omnes tres personas exprimere volenti satisfieri aliâs non posse, animadvertimus.

Finis. LIII. *Finalis causa* Baptismi à nobis in definitione adsignata est. *Propinquier* quidem & immediata, aliâs Logicis ḡ dicta: Regeneratio & Renovatio Spiritus Sancti, in filios Dei adoptio & peccatorum omnium condonatio: *Remotior* autem & mediâtâ ḡ Logicis nominata: Salus æterna, quod probat tum the-
sis supra posita, tum ulteriora Scripturarum testimonia, baptisatos Christum induisse (V) ipsius adventum impetrasse & quasi causâ confirmantia (W) Baptismum remissionis peccatorum velut ὄχημα & causam organicam indigentia (X) demum intrationem in regnum cælorum ipsi adscribentia (Y) atque creditu-
ors & baptizatos salvos enunciantia. (Z).

(V) Gal. 3, 27 (W) 1, Ioh. 5, 6. (X) Act. 2, 38. c. 22, 16. (Y) Ioh. 3, 5.
(Z) Marc. 16, 16.

LIV. Atque ita hæcenus, quid Sacramenta sint, ex consensu-
taneis percepimus: nunc quid ea non sint, dissentanea ostendunt.

LV. Hallucinantur igitur: I. Antitrinitarij hodierni. Photiniani, Baptismum temporarium ritum duntaxat fuisse statu-
entes, quem si quis apud Christianos amplius imitari veller, non minus risu dignus foret, ac si quis arram Nohæ, vel jugum Jeremiæ, aut alia, quæ Prophetas in V. T. adhibuisse legimus externa signa, in exemplum imitationis traheret & in N. T. redintegraret.

LVI. Exorbitant II. Pontificij, contendentes Sacramenta conferre gratiam ex opere operato, imprimere ea in animam characterem indelebilem, ministrum illorum debere esse non nisi rasum & unctum, ex cujus intentione efficacia Sacramento-
rum pendeat, quæ quidem gratiam conferre, non autē collatam
confir-

confirmare & obfirmare probabile sit : nunerum item Sacramentorum citra necessitatem temerè multiplicantes, campanas baptizantes, discrimen inter Christi & Johannis Baptismum, quoad efficaciam constituentes, ridiculis insuper ceremonijs ductum Sacramentum conspurcantes & alijs modis, quos recensere vetat brevitatis, ineipientes.

LXII. Delirant III. Calviniani, Sacramentorem virtutem in nudâ significatione ponentes, Baptismi necessitatem denegantes, quemvis liquorem pro lubitu adhiberi posse somniantes, duplicem Baptismum, unum externum, solius aquæ; alterum internum spiritus fingentes, à religioso Laico vel muliere necessitatis administratum in casu muliere in casu necessitatis administratum improbant; demùm infantes fidelium ab utroque matris sanctos esse; Deum nolle omnes Baptizatos regenerari; Electos post Baptismum contra conscientiam licet peccantes, gratiâ Dei tamen non excidere statuentes.

LVIII. Erant etiam IV. Anabaptistæ, infantibus Baptismum usq; ad annos discretionis differentes, quàm rectè autem, disquisitio docebit : nunc igitur quæremus.

QVÆSTIONES.

I.

An septem sint N. T. Sacramenta.

LIX. Ita autumant Pontificij, qui binis legitimis non contenti, ijs proprio ausu s. adhuc alia : Confirmationem, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem & Matrimonium, absq; evidenti ratione superaddunt, quæ quomodo singula describant, scripta illorum notescere faciunt.

LX. Nos in negativam concedentes, rem totam syllogismo includimus generali : Quicquid aut I. Desinitur verbo Dei tam mandati & immediatæ institutionis, quàm promissionis : vel Elemento visibili externo : aut II. Commune est ambobus Testamentis, & ijs, qui extra ; cum illis, qui intra Ecclesiæ gremium

B 3 sunt

sunt: aut III. *Proprium* aliquibus saltem Ecclesie membris: aut IV. *Fidem* pro parte habet essentiali: illud Sacramenti propriè dicti nomine venire non potest. Atqui talia sunt Sacramenta quinque Papicolarum fictitia. E. & c:

LXI. *Majoris* connexum verum est tum ex supra descriptâ omnium Sacramentorum naturâ communi & genericâ: tum ex amborum Novi Testamenti, quæ ipsis Romanensibus etiam sunt legitima, cognitione peculiari & specificâ, ad quæ tanquam incudem omnia (si qua modo sunt) reliqua revocare & velut ad Lydium lapidem probare ipsa quasi necessitas flagitat.

LXII. *Minor* constabit particulariter. I. *Destituitur* verbo Dei *Institutionis* Confirmatio, talis quidem, qualis ex mente Pontificiorum describitur. Destituitur eodem Extrema unctio ex eorundem cerebro facta-ficta. Similiter & Ordines, quos ab Apostolorum & nostro eâ, quâ æra lupinis dicuntur differentiâ, hoc est, *dis διαρασών* distare datur deprehendere. Pœnitentiam, nedum illorum fictitiam, nostram sinceram adsumamus: licet ea Christum, ut ministerij totius, ita & Autorem agnoscat ipsismet: institutione tamen illâ, quam habebant Sacramenta, destituitur.

LXIII. *Promissionis* verbo carent ipsorum Confirmatio, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium. Præterquam enim, quod pars, horum nec Autorem habent Deum, in hoc insuper deficient, quod neq; eundem largitorem gratiæ sibi polliceri possunt. Vbi enim obsecro Deus taliter crucipietis, oleatis gratiam & remissionem peccatorum promisit? Vbi sic inordinatè ordinatis? Matrimonium ineuntibus ubi? Nuspiam, in universo Scripturarum monumento nuspiam.

LXIV. *Externi Elementi* orba sunt ficta illorum omnia. Neque enim nos pro aliquibus agnoscimus ea, quæ in Confirmatione & unctioe ipsi adsumserunt pro lubitu. Ecqua enim, rogo, illa elementa? Nulla nobis sunt isthæc, nullum quia de ipsis habemus Dei, ut adhiberemus, mandatum.

LXV. II. *Communia* sunt Veteri & N. T. Pœnitentia, Matrimonium, Ordo. Eadem ijs qui *extra*; cum his, qui *intra* Ecclesiam degunt, Pœnitentia & Matrimonium,

Propria

LXVI. III. *Propria* aliquibus saltem Ecclesiæ membris:
Ordo & Matrimonium.

LXVII. *Fidem* pro parte habet essentiali Pœnitentia, quippe
qua privata pœnitentia non est, sed mera desperatio, merum pec-
catum.

II.

An Baptizari debeant infantes?

LXVIII. Negant hoc, qui hinc nomen suum fuerunt ad-
epri Anabaptistæ, in baptizandis discretionem dextri & sinistri
requirentes. Argumenta quæ producunt è potissimis sunt hæc
duo:

LXIX. I. Quicumq; non credunt, iidem neq; possunt bap-
tizari. Subsumunt: Non credere possunt infantes. Inferunt: Ergo
non possunt baptizari.

LXX. II. Si peccato Originis carent & sancti sunt infantes
ante Baptismum, quorsum conducit illos baptizare? Nullorsum
si conducit intermittere quàm suscipere Baptismum expedit. At-
qui infantes ante Baptismum sancti sunt & peccato originali ca-
rent. Ergo nullorsum ille ipsis conducit: Ergo intermittere
quàm suscipere eum illis expedit.

LXXI. Contra in contrariam nos abire sententiam ratio-
num juber firmitudo plusquàm Adamantina. Ex hæ: I. A Testimo-
nio. Non & destitui possunt Baptismo infantes, & nihilominus
ingredi in regnum cœlorum (aa) Atqui ingredi possunt regnum
cœlorum (bb) E. non destitui Baptismo,

(aa) *Ioh. 3, 5.* (bb) *M. 19, 13. Marc. 10, 13. Luc. 18, 17. Gen. 17, 10.*

LXXII. II. A *paribus*. Si infantes potuerunt circumcidi, pote-
runt utiq; etiam baptizari (cc) Prius verum, Ergo & posterius.

(cc) *Coloss. 2, 11, 12.*

LXXIII. III. A *typo*. Si infantes in V. T. per mare ru-
brum fuere ducti: erunt aut etiam in N. ad Baptismum
ferendi, aut dicendum illud hujus non fuisse typum. Ante-
cedens verum, quod nemo negaverit, nisi qui Israelitas toto
illo

illo tempore, quo iter ex Aegypto terram promissam versus suscepere, contra pollicitationem Abrahamæ de multiplicatione seminis datam steriles mansisse finxerit. Ergo & horum consequentium verum erit alterum. Atqui non hoc, quia contradicit Paulus. (dd) Ergo illud. (dd) 1, Cor. 10.

LXXIV. IV. *Ab exemplo.* Si Apostoli baptizarunt infantes, baptizare debemus & nos. Apostoli baptizarunt. Probo. Quia Quia leguntur baptizasse familias totas. Ergo aut etiam infantes, aut illi de familiâ erunt ex emendi. Non hoc. Ergo illud. E. infantes hodie baptizare debemus & nos.

LXXV. *Ab absurdis.* Si Christus baptizari vult omnes gentes & lavacro aquæ in verbo Ecclesiam mundavit: consequens est, aut infantes quoq; esse baptizandos, aut ipsos & non esse de numero gentium, & non pertinere ad Ecclesiam. Atqui vel prius (ee) Ergo, nisi incidere velimus in hæc posteriora duo absurda verum erit etiam posterius.

(ee) M. 28. Ephes. 5. 25,

III.

An fidem habeant infantes?

LXXVI. Hucusq; argumenta nostrorum agentia: ad Adversariorum negantia quod attinet, continet in ipsis Minor ipsum *ἡπιστάμενον*, dum utrumq; ex falsâ hypothesi procedit, atq; adeò principium petit, unde utrobq; nova controversia oritur.

LXXVII. Quæritur igitur, quoad Prius: An parvuli credant? Factio Antagonistarum negant. Adfirmamus nos.

Negantium rationes hæc sunt:

LXXVIII. I. Fides est ex *auditu* (ff) Parvuli non audiunt. E. II. Si infantes carent rationis usu, carebunt etiam fide. Prius verum E. III. Quicumq; Christum non confitentur, ijdem neq; credunt (gg) Infantes Christum non confitentur. E. &c.

(ff) Rom. 10. 17. (gg) Ps. 116. 10. Rom. 10, 9. 10.

LXXIX. *Affirmantium fundamenta sunt sequentia:* Primum suppeditant clarissima verba Christi, infantes credere expressissimè adferentis. *Qui scandalizaverit, inquit, unum de pusillis istis, QUI IN ME CREDUNT.*

80. Alterum

LXXX. *Alterum* per Soriten sic potest informari: Infantes salvantur: (hh) Quicumque salvantur, ij in Christo sint, necessum est: (ii) In Christo, qui esse volunt, quin credant, fieri non potest: (kk) E. Infantes quin credant, fieri non potest.

(hh) *M. 18, 3. Marc. 10, 15. Luc. 18, 19.* (ii) *Ioh. 14, 6, 6, 15, 6. Act. 4, 12. I. Ioh. 5, 12.* (kk) *Eph. 3, 17. Gal. 2, 19. 6, 3, 8, 9.*

LXXXI. *Tertium* extruit natura contrariorum: Si ij, qui Maran atha sunt & condemnantur, non diligunt Dominum Jesum, & damnantur: sequitur vice versa, eos qui minus tales sunt & salvantur, eundem diligere & in eum credere. Verum prius. (ll) Ergo & posterius. Porro infantes salvantur, uti supra ostensum. E. etiam credunt.

(ll) *1. Cor. 16, 22, Marc. 16, 16. Ioh. 3, 18.*

LXXXII. Nunc ad Adversariorum argumenta. Ad *Primum* dicimus: habere quidem Apostolum: fidem esse ex auditu, sed non addere: *ex solo omnem*. Textum enim si inspiciamus, cernere est, agere inibi Paulum cum adultis, qui quia doceri prius quippe ex gentilismo demum vocati, opus habeant, facile largimur, ex auditu ipsis impertitam fuisse fidem. Alia autem jam est ratio in nostris Ecclesijs cum infantibus, qui cum doceri nondum possint, aliud nobis, *σὺν Θεῷ* prostat organum, per quod Deus fidem in ijs vult atque etiam solet accendere.

LXXXIII. Distinguimus verò inter Ecclesiam constituentem, & constitutam. In illa non nisi ex auditu adepti fuerunt primum fidem homines, in hac non item.

LXXXIV. Atque de his ita sentire jubent instantia specificæ quæ non omnem fidem ex solo auditu verbi esse probant. *Iohannes* Baptista certè, cum dextrum à sinistro nondum posset sequestrare, nullius sensus usus capax, nullius auditus, sed in utero adhuc degens materno tanta fide fuit instructus, ut saltu eam præ gaudio matri innotescere siverit. (mm) Eodem modo *Regius Psaltes* dicit: Quòd *DEVS SPES sua ab uberibus matris sue, quod in ipsum projectus ex utero, quodque sit de ventre matris sue Deus ipsum.* (nn)

(mm) *Luc. 1, 44.* (nn) *Psal. 21, 10.*

○

85. Et

LXXXV. Et quid quæso de surdis dicemus, deq; alijs, quos domi manere & intra privatos parietes degere adversa jussit valetudo? Num omnes hos Tartaro adjudicabimus, & æternum ipsis anathema dicemus, eò quòd de verbo intra Ecclesiæ agrum sparso non possunt participare? Absit.

LXXXVI. Ut igitur quæ hæctenus fusiùs, nunc concisiùs proponamus, censemur committi in primo hoc argumento Fallaciam $\tau\grave{\epsilon}\ \epsilon\ \pi\epsilon\ \mu\epsilon\ \nu\sigma$. Non enim sequitur: Fides in Ecclesiâ constituendâ non nisi ex auditu fuit data: E. etiamnum in constitutâ, Distinguantur tempora, & concordabit Scriptura.

LXXXVII. Porro si de Ecclesiâ nostrâ jam constitutâ se loqui excipiant Anabaptistæ, quod nunc, quia ex auditu verbi sit fides, eadem non possit esse ex Baptismo, negamus itidem consequentiam. Committitur enim Elenchus oppositorum. Non sunt contraria verbum & sacramenta, subordinata sunt, subordinata autem non pugnant. Unius inclusio non est alterius exclusio, & ab unius speciei, ab unius organi positione ad alterius remotionem N. V. C.

LXXXVIII. Non sequitur: Hic liquor in vas infunditur per hoc vel illud; Ergo non per aliud potuisset instrumentum. Sic non sequitur: Fides in corda hominum mittitur per prædicationem verbi, Ergo non per Baptismum. Quemadmodum nec sequitur: Renascimur ex verbo. Ergo non ex lavacro aquæ. Quid si utrumque verum esset, uti certè est utrumque verissimum.

LXXXIX. *In secundo* negamus connexionem Propositionis. Neq; enim cum Pontificijs ineptiendum nobis est, fidem esse merum rationis habitum, adeò, ut ubi fides se exerit, ibi non possit non esse rationis adjumentum. Non mera qualitas est fides justificans: Relatio est, Non enim justificat ut est fides, sed ut est fides in Christum. Hæc ut nuda qualitas si consideretur, quatenus solâ absolvitur notitiâ, fides justificans esse desinit, & in historicam abit, quam & Diaboli habent, sed contremiscunt, teste Jacobo (oo) De qua fide sermo hic nobis non est.

(oo) *Jac. 2, 19.*

XC. Et adeò non militat hæc Anabaptistarum ratio, ut potius

tius invertere eam & κατὰ Πλάτων in ipsos retorquere liceat, ita colligendo: si infantes rationi frena laxare non possunt, eò ipso, quod non possunt, credunt. Prius verum. Ergo & posterius Adsumtio est πρώτως & per se vera ipsis etiam Adversarijs fatentibus.

XCI. Propositionis sequelam probant Scripturæ, quæ rationem, tantum abest, ut in fidei negotio requirant, ut potius ab eodem eam excludant. Hinc in captivitatem redigendum esse intellectum, suadet Apostolus (pp) idque ideò quod is in spiritualibus planè cæcus; nedum hominibus prælux sit & viam monstrat, (qq) Hinc ipsò nos Christus parvulis vult fieri similes, si velimus salvari. (rr) quod in his ratio, quæ aliàs semper spiritui reluctatur, simpliciter acquiescat.

(pp) 2. Cor. 10, 5. (qq) 2. Cor. 4, 4. Eph. 4, 18. 1. Cor. 2, 14. Rom. 8, 7.
(rr) Marc. 10. &c.

XCII. Quoad tertium: Respondemus ad Majorem per limitationem: Quicumque Christum prorsus non, neque more hominibus conspicuo, neque modo Deo cognito confitentur, illi non credunt. Jam ad Minorem quod attinet, negamus illam.

XCVIII. Falsum n est, parvulos prorsus non confiteri: Licet n. non edant confessionem nobis audibilem, fovent tamen Deo perceptibilem, id quod testantur Sacræ literæ, DEUM EX ORE INFANTIUM & lactentium laudem perfecisse, adtestantes (ss) Atque ita confitentur infantes suo modo, quem modum optimè movit, qui novit omnia Deus κατὰ διογνώσις.

(ss) Psalm. 8, 3

XCV. Committitur igitur Elenchus κατὰ τὸ πῆ in hoc Argumento, dum Major non universaliter vera est, & est ambiguitas in terminis, nimirum in termino confiteri, qui in Propositione sumitur pro confessione indifferenter qualibet, in Adsumptione verò tantum pro eâ, quæ hominum sensibus est obvia, accipitur. Unde alia emergit Fallacia, quæ est ὁμωνυμία, atque ita hic ostendunt se quatuor termini potentiam. Pro primo.

XCV. Deinde loca illa duo biblica sententiæ Adversariorum usq; adeò non patrocinantur, ut potius pro nobis militent.

C 2

Loqui-

Loquitur enim Scriptura eo locorum de ejusmodi Confessione, quæ requiritur tempore potissimum in persecutionis & opposita est dissimulationi, ut ita confiteri idem sit, quod non abnegare. Hinc: si ex his locis tantum colligitur, eos non credere, qui tempore tentationis agnitam veritatem dissimulant vel abnegant, sequitur: ineptè & absurdè hoc concludi de infantibus. Verum illud, verum igitur & hoc.

IV.

An sancti sint ante Baptismum infantes Christianorum?

XCVI. Alteram hanc quæstionem gignit posterius argumentum quo Adversarij Pædobaptismum negare solebant. Minor illius pro confesso hoc habebat, quod ipsum tamen est, de quo maximè inter nos disceptatur. Negativam enim nos tenere sequentes suadent causæ:

XCVII. I. Nemo ex carne tantum natus potest dici sanctus, (tt) Omnis infans ante Baptismum ex carne tantum est natus. (uu) E. Nullus infans ante Baptismum potest dici sanctus.

(tt) *Iob. 3, 6. I. Cor. 15, 50.* (uu) *Gen. 5, 3. Iob. 14, 4. Psalm. 51, 7.*

XCVIII. II. Sancti nati sunt ex Deo, Infantes non nati sunt ex Deo, sed ex sanguinibus, ex voluntate carnis, ex voluntate viri, (ww) Ergo infantes ante Baptismum non sunt sancti.

(ww) *Iob. 1, 12, 13.*

XCIX. III. Omnes sancti mundi sunt. Infantes ante Baptismum non mundi sunt. Mundamur enim demum lavacro aquæ. (xx) Ergo nec sancti.

(xx) *Eph. 5, 27.*

C. Contra *Affirmativa* suæ fucum facere solent Adversarij his Argumentis: I. Sanctos nominat infantes Scriptura, (yy) Ergo Sancti sunt. II. Rami sanctarum radicum sunt sancti. (zz) Infantes ante Baptismum sunt sanctarum radicum rami. Ergo Infantes Christianorum &c. III. Quorumcunque Deus Deus est, hoc est, placatus & propitius, ij sancti sunt. Infantum Christianorum ante Baptismum Deus Deus est, *Gen. 17, 7.* Ergo.

(yy) *I, Cor. 7, 14.* (zz) *Rom. 11, 16.*

CI. Sed

CI. Respondemus quo ad *Primum*: Distinguendo inter sanctitatem internam sive Spiritualem, qua immunes sumus à peccatis, quæq; apud Deum valet & sanctitatem civilem:

CII. Posteriori hac significatione Sancti sunt Apostolo infantes ejusmodi: priori non item. Nam versiculus 14. contradicit. Committitur igitur ἀγνοια τῆ ἐλέγχῃ, idum status pervertitur: Item Confunduntur disparatæ quæstiones & Aequivocatio est in terminis, sicq; insunt Argumento 4. potentiâ.

CIII. Deinde si vel maximè loqui Apostolū de Sanctitate internâ concederemus: Syllogismus tamen non concluderet, quod Adversarij intēdebant. Illud debebat: E. Infantes ex fidelibus parētib; nati ante *Baptismum* sancti sunt. Adversarii autem saltem hoc: E. sunt sancti, Quod facile licet largiri, modò de sanctitate non propriâ & perfectâ; sed de imputatâ & inchoatâ, quam Baptismus confert, velint interpretari Anabaptistæ.

CIV. Quo ad *Secundum*. Loquitur ibi Apostolus de Sanctitate non congenitâ & hereditariâ, sic enim solus Abraham vel alius quivis Protoplastes fidelis suffecisset, ex quo omnis posteritas, sicq; etiam Esavitæ postmodum geniti fuissent creduli. Sed alium scopum sibi habet præfixum Paulus.

CV. Vult nimirum prævenire opinioni Romanorum, qua Judæos jam modò radicibus extirpatos & simpliciter reprobatos putabant, adeò, ut si vel maximè voluissent, nullus tamen illis restitisset prorsus amplius in Ecclesiam aditus. Pravam hanc opinionem ut retunderet Paulus, simile profert de Plantâ, ostensusq; usq; adeò non ita se habere rem, ut potius, sicut rami de beneficijs in radicem collatis participent: sic fœdus Dei cum Patriarchis olim initum ipsos etiam posteros concernat, ut, si modò ipsi non obsint, impossibile non sit, quo minus in gratiam denuo redire possint. Constat igitur argumentum etiam hoc 4. terminis & committitur ὁμωνυμία, dum Anabaptistæ ad ipsam Sanctitatem rapiunt, quod Apostolus de *non-impotentiâ ad illam* affirmaverat.

CVI. *In tertio negatur Minor*. In allegatis namq; verbis peccatur in divisionem & Compositionem, dum mutilatè citantur. Si enim ipsa in sede legamus, non adversarijs contra nos, sed

C 3

nobis

nobis contra ipsos rationem subministrant, utpote quæ Deum nobis non nisi per Sacramenta propitium pollicentur, quod ipsum ex alijs Scripturæ locis benè multis deducere cuius obvium est.

CVII. Quibus ita per *ἀπορίαι* inspectis, firma manet *θεσις* adhuc nostra, quæ hanc, quæ immediatè præcedentem quæstionem, quò ipsò Anabistæ ad secundam ab hac retrò stabilieudam: *τὸ* nobis improvisò suppeditant, ut ita: Si nec Sancti sunt ante Baptismum, nec in collatione ejusdem increduli infantes Christianorum, maximè sint baptizandi. Verum illud. Verum hoc.

SOLIDEO GLORIA.





AD

Humanissimum & Doctissimum,

Dn. M. IOHANNEM MYLIVM,
RESPONDENTEM, AMICVM ET
commensalem meum carissimum,

A *Rmis ingenij quæ sita est gloria ut omni
Tempore, queis bellum bella ciere, Sophis.
Immortale decus sic IOVÆ casta secutis
Castra, hostes sacro sternere Marte suos.
MYLIUS ex primâ laurum tulit acer arenâ.
Jam fervens animo in prælia sacra ruit.
Et ducis auspicio FRANTZI conclamat, ad arma,
O minor, baud deerunt hic quoq;serta tibi.*

M. Iohannes Christoph. Knopfius.
Danus.

AB: 15067

ULB Halle
003 019 209


3



36.







Farbkarte #13

B.I.G.

DISPUTATIONUM THEOLOGICA-
RUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
CHRISTIANÆ ARTICULIS,
X.
De
SACRAMENTIS
IN GENERE,
Et in specie de
CIRCUMCISIONE, AGNO PA-
SCHALI, ET BAPTISMO,
Quam
Favente horum Institutore DEO,
SUB PRAESIDIO
VVOLFGANGI FRANZII,
SS. Theologiæ Doctoris & Professoris
in Inclutâ ad Albim publici,
discutiendam proponit
M. JOHANNES MYLIUS
ULMENSIS,
Ad diem 26. Februar. In templo Arcis,
horis solitis.

VVITTEBERGÆ,
Ex Officina Johan. Gormanni
ANNO M. DC. XII.

21

